

307  
svadere conatur Seneca. Largiamur hoc sapientioribus, plebs  
autem superstitiosa eò forsitan vix penetravit, quin, prout à sensi-  
bus pendeat, totidem numina sibi constituerit, quot numina au-  
dierit, templaq; diversò apparatus extructa adierit.

## CAPUT II.

Exhibens Impotentiam intellectus humani  
cognoscendi è lumine Naturæ Trinita-  
tem in specie.

Σύνοψις.

1. Quid hic præstet ratio disquiritur prolatis quorundam affirmantium fundamen-  
tis. (2.) Argumentorum imbecillitas evolvitur. (3.) Sententiæ in contrarium al-  
legatæ ponderantur. (4.) Ad easdem respondetur. (5.) Quousq; tandem se ex-  
tendat notitia naturalis, summatim repetitur.

§. I.

CÆteroqvi porrò disceptatur, num pari modò quicquam con-  
jicere queat Ratio de tribus hypostasibus seu personis Essen-  
tiæ divinæ? Jam dudum affirmasse id ipsum & demonstrare  
præsumsisse ex Syllogismis Aristotelicis & Geometricis legitur.  
Origenes, propterea reprehensus ab Epiphanio. Idem tentârunt  
subinde & alii elicere, cum ex ipsâ Intellectus & Voluntatis indo-  
le, tum naturâ boni. Illud est Kekermanni inventum sic colli-  
gentis; DEUM utiq; habere excellentissimum intellectum, ideòq;  
objectum etiam requirere perfectissimum; quoniam autem nihil  
DEO nobilius, in seipsum reflecti intellectum; jam nihil intelligi  
nisi per speciem objecti, exinde sequi, DEUM, dum ab æterno se-  
metipsum perfectè intellexerit, concepisse ac peperisse in seipso  
perfectissimam imaginem sui ipsius, hanc igitur esse secundam  
personam seu Filium: Deinde cum divina Essentia etiam gaudeat  
Voluntate, eaq; præstantissimâ, versante circa simile, in seipsam  
itidem redire, inq; ipso DEO tanquam infinito bono acquiescere,  
unde summa voluptas & amor oriatur; dum igitur æternus Pa-  
ter ideam sui ipsius, Filium scilicet, conceperit, perfectissimâq; ve-

B 3

volu-